

N. 76, 29.

X 2005167

Ya
3299

ORATIO
DE PRÆCIPVIS
BENEFICIIS, HVC
VSQVE IN SCHOLAM
DRESDENSEM à DEO
COLLATIS,

POST EIVSDEM RENOVA-
*tionem Anno Christi 1619. in au-
tumnali examine recitata,*

à

M. TOBIA SIMONE
Dresdensi Scholæ Rectore.

DRESDÆ

In Officina Gimelis Bergen.

N. 4.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



VIRIS AMPLIS-
SIMIS, PRVDENTIA,
ERVDITIONE, VIRTUTE
PRÆSTANTISSIMIS, Dn. CONSVLIVS
& Senatoribus inclytæ Reipub. Dresdensis,
Dominis & Patronis suis omni ob-
servantia colendis.

Sumptus illi non exigui ab A.V. Vi-
ri amplissimi, prudentia, eruditi-
one & virtute præstantissimi, Do-
mini & Patroni summa observan-
tia colendi, superiori astate, non sine eximia
pietatis laude, in scholæ renovatione impensi,
ansam mihi dederunt, ut oratiunculam de præ-
cipuis Dei beneficiis in nostram scholam conscri-
berem, & in proximo examine recitarem. Hanc
etsi propter tumultuarium & minus expolitum
sermonis genus typis minimè dignam aestimo:
tamen in lucem dare volui, cùm quòd nonnulli

A 2

ex

ex A. V. affuerunt, qui eam audirent, tum et
maximè, quòd illa beneficia, quæ in ea comme-
morantur, publicum aliquod præconium & gra-
titudinis monumentum requirunt. Quocirca
eam vobis, ut debeo, offero, & quanquam A.
V. non ingratham fore spero, tamen ut benevolis
suscipiatis animis, magnopere rogo. Valet Vi-
ri amplissimi & prudentissimi, & inclytæ Rei-
pub. clavum, Deo Rectore, rectum & liberum
ipsi salvi & incolumes diu tenete, ac uti me ha-
ctenus per 30. ferè annos in pulvere scholastico
desudantem amore & favore prosecuti estis, ita
& iam in eodem consenscentem amare & fo-
vere non desinite. Dresdæ, die Nicolai, Anno
Christi 1619.

A. V.

omni observantiæ studio colens

M. Tobias Simon
scholæ Rector.

ORATIO

de schola Dresdensi.



Mihi de dicendi argumento deliberanti, Viri reverenda dignitate, eximia amplitudine, excellenti pietate & doctrina, singulari prudentia, auctoritate & rerum usu præstantissimi, Domini, Patroni & Meccenates summo observantiae stud.ocolendi, Collegæ honorandi, & discipuli amandi, mihi inquam deliberanti de dicendi argumento, quo in examinis vestibulo uterer, etsi per multa occurrebant, quæ fortasse maiori cum discentium fructu abs me in medium afferri potuissent: tamen ea potius mihi materia eligenda visa est, quam ipse locus, in quo iam constituimur & versamur, mihi subministraret. Æstate enim modò elapsa huius scholæ ædificium ipsa vetustate satis impuratum, & quibusdam in locis collapsum & labefactatum, ita dealbatum, reparatum & renovatum est, ut omnium prætereun-
tium ac intuentium oculos niveo suo splendore perstringat. Nec id sine exiguis Amplissimi & Prudentissimi Senatus factum est impensis & sumptibus, qui sanè prædicatione

A 3

digni

digni meritò habentur. Nam & amorem & animum benignum Senatus erga scholam nobis patefaciunt, cum non ad vanam vanæ magnificentiæ ostentationem, sed in eum adhibiti sint finem, ut & Pietas & Musæ officinam & palæstram haberent purissimam & elegantissimam. Quocirca in honorem scholæ nostræ jam renovatæ ad vos in præsentia nonnulla dicam, quæ etsi per se erunt tenuia & nullius ferme momenti & ponderis, tamen ut spero, ad vestras non ingrata accident aures. Nam si in ædium recens extructarum inauguratione consuetudo illa laudem meretur, uti & jurè meretur, quòd de earum auctoribus, structura & usu quædam dicendo commemorantur: certè & in earundem ædium, quales & sunt scholæ, reparatione & renovatione illam ipsam consuetudinem tenendam esse judicemus, ut pro felici iterum auspicio oratiuncula instituat, & commoda inde pronata publicè ac privatim auditoribus breviter atque simpliciter exponantur. Huic igitur consuetudini & ego hoc tempore morem geram, brevi oratione dicturus de nonnullis beneficiis, quibus Deus Opt. Max. huc usque scholam nostram cumulatè affecit. Idq; dum facio, Viri reverenda & amplissima dignitate præstantissimi, Domini, Patroni & Mæcenates omni observantia colendi, ut me summa cum animi benevolentia & aurium

Et aurium patientia audiatis, pro ea, qua debeo, mentis
submissione et reverentia, vehementer etiam atque etiam
peto et contendo.

Ac ut inde exordiar, ingens est hoc Dei immorta-
lis beneficium, quod hanc scholam eo ipso tempore, quo hac
in urbe lux Evangelij accensa est, sibi aperuit. Hoc
omnibus bene cognitum est, DEVM ante annos plus
centum in Ducatu Saxonico Ecclesiam suam, ex Ponti-
ficij regni potestate et tyrannide ereptam, in Christianam
libertatem vindicasse, ac in ea lucem Evangelicæ doctrinæ,
tenebris Papatus propè Cimmeriis oppressam, denuò accen-
disse, hanc ad rem præcipuè excitatis nonnullis Principibus
et Electoribus Saxonie, et Theologorum omnium Cory-
phæo, D. Martino Luthero. Quæ Evangelij lux etsi
intra Saxonie fines se non continuit, sed protinus longè la-
tèq; disseminando in omnes ferè Germaniæ regiones et vi-
cina loca diffudit: tamen hanc urbem patriamq; nostram,
et alias urbes in provincia Misnica seriùs collustrare cœ-
pit, non parum obstante Duce Saxonie GEORGIO.
Is enim ab Episcopi Misnensis, Numburgensis et Mers-
burgensis consilio pendens, et præterea à Cochleæ, Paulo
abbate Cellensi, et alijs istius farinae hominibus, ac præci-
pue Pontificiæ religionis asseclis et defensoribus persuasus,
solam

solam & unicam Romanæ Ecclesiæ doctrinam esse veram
& orthodoxam fidem, ab ea ne latum quidem unguem dis-
cedere voluit. Et hac de causa ad extremum vitæ hali-
tum in Papistica perseveravit religione, eamq; in omnibus
sue ditionis urbibus retinuit. Quæ sanè Principis Georgij
pertinax in Romanæ Ecclesiæ fide permansio cursum Ev-
angely, jam ubique lucem suam salvificam diffudentis, hic
Dresdæ, Misenæ & in aliis finitimis oppidis, remorata
est ad annum Christi usque trigesimum nonum, supra se-
squimillesimum. Nam eo anno, Aprilis die vigesimo quar-
to, Georgius Dux Saxonie subita morte extinctus obiit,
cuius hæres & successor frater Henricus factus, religione
Pontificia abrogata, Ecclesias omnes sue ditionis juxta
confessionem Augustanam reformavit, atque ita, discussis
nebulis, inò tenebris Papatus, gratam Evangelij lucem in
totam provinciam Misniam, adeoq; in hanc nostram quoque
urbem suis quasi humeris importavit. Repurgatas Eccle-
sias statim & scholarum fundatio & constitutio subsequuta
est. Monasteria enim, quæ tum à Monachis cuculatis mu-
tata erant in lupanaria, in stabula Bacchi, in officinas im-
pietatis, superstitionum & idololatriæ, passim in urbibus
sublata, & de eorum redditibus veræ pietatis ac literarum
scholæ apertæ sunt quàm plurimæ. Videbant enim pii

princi-

principes & civitatum magistratus sine scholis nec Ecclesiam veram esse, nec veram doctrinam conservari posse. Quocirca hic illic scholas aut planè novas aperuerunt, aut emandas instaurarunt. Exemplo sunt tres ludi illi provinciales in tractu Misnico, ab illustrissimo Principe & Heroe MAURITIO, Duce Saxoniae, laudatissimæ & beatissimæ memoriae, Misena, Porta & Mersburgi primùm, postea Grimæ instituti, anno à Christo nato 1543. Eos tamen præcessit trivialium, uti hodie appellitantur, scholarum reformatio, quæ statim à repurgata religione in præcipuis civitatibus efflorescere cœperunt. Ex harum numero fuit hæc nostra, quæ aut circa finem anni 39. aut statim in initio anni 40. supra sesquimillesimum, inchoata est, ut & schola Senatoria Misena eodem anno incepit, id quod annales civitatis Misnensis testificantur & confirmant.

Alterum beneficium à Deo in scholam nostram collatum hoc est, quòd à prima fundatione eidem subinde maiora concessit incrementa, & accessiones adiunxit. Nam dubium non est, quin schola initia habuerit quædam minima. Urbs enim ipsa admodum exiguo descripta fuit ambitu, nec ædibus nec civibus adeò, ut iam, referta. Sed tamen progressu temporis à Mauritio Duce & Electore Saxonie,

B

cum

cum in aulae suae sedem locaret ac figeret hac in urbe, eamque contra hostiles impetus & incursiones Vallis & fossis munire animum induceret, mœnibus deiectis ea ex parte, quae Septentrionem & ortum aliquomodo spectat, maxime amplificata est vicis, plateis, locisque quamplurimis. Urbe itaque dilatata & adaueta, civium quoque & incolarum succrevit paulatim numerus, ac ita & scholasticorum subinde accrevit multitudo. Nam istius aetatis homines beneficij per instauratam Evangelij lucem accepti assidue memores, ut idem sartum tectumque conservarent, & ad posteros saluum & integrum propagarent, liberos suos in scholam, tanquam in doctrinae caelestis plantarium, transferendos, & praceptorum institutioni committendos esse judicabant. Erant praeterea eo tempore homines persuasi, se de nulla re diviniore cogitare & deliberare posse, quam de relecta suorum liberorum institutione, quae sola viros reddit Ecclesiae & Reipublicae utiles. Postremo credebant iidem, liberos longe melius informari & erudiri in schola publica, quam privata & domestica. Quocirca certatim quasi & catervatim suos ad scholam ablegabant liberos. O laude dignum in civibus erga scholam amoris affectum! Is si hac aetate, in quam nostra aetas incidit, extaret in civibus, non tanta ubique discentium in publicis scholis paucitas, nec

nec tanta multitudinis scholasticæ foret imminutio. Sed nonnulli parentes hodie liberalem liberorum institutionem nullius æstimant assis, & hac de casu liberos ad scholas non mittunt. Non paucis publicæ omnino sordent scholæ. Malunt igitur in latebris suos erudiri liberos, nunc has, nunc illas prætendentes causas, de quibus jam hic non est dicendi locus.

Accedo jam ad tertium beneficium, quod Deus has Etenus in nostram scholam contulit, dum semper largitus est viros pietate, doctrina & virtute præstantes, qui eam & sua cura & favore & liberalitate complecterentur. Ac sanè in eorum numero pono Reverendos & Clarissimos Viros, Dominos Pastores ac Superattendentes, quibus summa scholæ inspectio fuit demandata, & quibus id semper unicè fuit curæ, ut cum docentes, tum discentes suo probè fungerentur officio, ac schola pietate, literis & virtute esset florentissima. Horum primus à repurgata religione fuit Dn. M. Ioannes Cellarius, qui anno 1542. mundo valedixit, atque ita non diu in sua perstitit functione. Illi successit Dn. Daniel Greferus ex Hassia huc evocatus, qui cum per annos 45. continuos Ecclesiæ præfuisset, tandem tanquam emeritus honesto provisionis stipendio donatus, anno 1588. officio abiit. Eodem anno huc Dres-

dam ex Marchia à nonnullis in aula vocatus, & Senatui
huius urbis amplissimo quasi obtrusus fuit D. Urbanus
Pierius, sed anno 1590. Vitebergam profectus succes-
sorem habuit D. Gregorium Schönfeldium. Sed tamen
hos duos non inspectores, sed infectores, nec curatores, sed
turbatores scholæ nuncupo, cum in ea re summo laborave-
rint studio, ut lue Sacramentaria & Ecclesias & scholas
inficerent & perturbarent: quo suo labore dignam tandem
retulerunt mercedem stationibus suis expulsi, & in exilium
abire iussi. Anno 1591. post obitum Christiani primi
quintus Ecclesiæ repurgatæ Pastor ac Superattendens desi-
gnatus est M. Theophilus Glaserus, & officio suo præfuit
usque ad annum 1603, quo vitam cum morte commutavit
die Marty secundo, hora sexta matutina. In huius locum
surrogatus est D. Paulus Laurentius eo ipso anno, cui
Misenam discedenti ad Pastoris ac Superattendentis provin-
ciam obeundam successit Anno 1616. Vir reverenda di-
gnitate, excellenti pietate & eruditione, omniumq. virtutum
eminentia clarissimus, Dn. Ægidius Strauchius, S. S.
Theologiæ Doctor præstantissimus, & Electoralis Proto-
Synedry assessor dignissimus, jam septimus Ecclesiæ Pa-
stor & Superattendens, & supremus scholæ inspector, quem
ut Deus ille clementissimus diu superstitem conseruet, me-
rito

rito volumus. Porro inter Patronos & benefactores, quos schola nostra haclenus habuit, sibi nunc secundum vindicat locum Amplissimus huius urbis Senatus, qui omni tempore sua cura & liberalitate hanc scholam fovit, ac etiamnum fovet & prosequitur. Semper enim idoneis viris numerum docentium constituit, cumq; is in principio quatuor tantum esset Collegarum, eundem auctiorem reddidit, adeoq; sub Mostelio Rectore adiunxit Quintum, & sub Zortero tandem Sextum & Septimum, ut hoc pacto tenore aetatis melior & accuratior haberetur ratio, ac in primis pietatis & literarum initiis eò diligentius informatio perficeretur. Hoc suum erga scholam beneficium Senatus prudentissimas accumulavit alio, quod prius scholæ ædificium, cum & nimia vetustate esset consumtum, nec gregis discipulorum satis numerosi & quotidie accrescentis capax, demolitus est, & hoc renovatum, in quo iam sedemus atque stamus, construxit. Quod sanè ædificium, anno Christi millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo, quoad integram omnium partium structuram absolutum est, nec ulli in universo ferè Ducatu Saxonico cedit. Si locum eius, in quo situm & extructum est, consideramus, ille templo est proximus, ab hominum concursu remotus, studiorum exercitiis accommodatus, & aere salubri plenus. Nam ple-

B 3

raque

1557.

raque auditoria orientem & septentrionem spectant, quæ
duæ mundi plagæ Medicis & physicis judicantur cæteris sa-
lubriores. Forma & figura ædificij est profectò laudatis-
sima, & omnium intuentium oculis maximè obvia: parietes
omnes, interiores & exteriores, cæmentitij, & jam undique in
renovatione candidissima calce dealbati: tectum lapidibus fissi-
libis instratum. Et sicut totum ædificium scholæ satis am-
plum est: ita & auditoria continet satis capacia, & alia
conclavia ad alios usus destinata, item cubicula inquilino-
rum habitationi & usibus inservientia. Id autem suis ex-
trui curavit sumtibus Amplissimus Senatus, ut in eo, tan-
quam in officina, iuventus huius urbis vera & sincera
pietate imbueretur, in literarum & artium humaniorum
studiis informaretur, & denique moribus honestis ac lauda-
bilibus expoliretur. Qua pia & bona Amplissimi nostri
Senatus erga scholam affectione ipsi postea cives excitati &
quasi extimulati nihil prius, nihil antiquius sibi duxerunt,
quàm ut scholam erectam atque educatam non modò liberis
suis refercirent, sed & quibuscunque adminiculis & subsidiis
possent, benignè foverent, & abunde conservarent. Nam cum
viderent, ex omnibus ferè locis & oris procul dissitis ma-
gnum esse concursum pauperum scholasticorum, eos hospitio
excipiebant, liberali mensa alebant, & suis liberis præfici-
ebant,

ebant, ut ipsos in ludum euntes deducerent, & ex ludo re-
ductos domi nonnihil plenius instituerent ac erudirent. Nec
eiusmodi liberalitate fuerunt contenti, sed eam progressu
temporis longè maioribus beneficiis effecerunt luculentiorum.
Multis enim indies aduolantibus discipulis, qui nec hospiti-
is excipi & ali, nec suis se sustentare poterant sumtibus,
iis in ipso scholæ edificio prospectum est de contubernio,
de cubilibus, de lectis. Iisdem ostiatim canendo data est
potestas quærendi panem, quem quærentes eo tempore abun-
de inuenerunt, & interdum aliquid lautius apud ciues lau-
tiores. Imò res, Deo sic providente & gubernante, eò
processit, ut ex singulari amoris erga pauperes scholasticos
affectu nonnulli inter ciues, cum nobiles, tum ignobiles,
viri in aula celebres, aut doctrina excellentes, aut diuitiis
affluentes, certis anni diebus, aut semel intra mensis spaci-
um, inquilinis scholæ aut per eleemosynas aut per legata de
victu prospicerent. Et hunc laudatissimum morem postea
& alij plures, annis consecutis, eodem pietatis affectu moti
& ducti retinuerunt. Hunc ipsum morem & consuetu-
dinem etiamnum hodie nonnulli nobiles & præclari viri,
Electores consiliarij aut officiis aulicis præfecti, ciues
item nonnulli in hac urbe opulenti sequuntur, pro faculta-
tum copia scholæ huius alumnis menstruo tempore, vel certis
in anno

in anno diebus, cibaria ministrantes, aut singulis septiduis
certum subsidium ad studia necessarium erogantes. Hoc
sanè beneficio presenti tempore scholastici non pauci, aut
ex locis peregrinis seu exteris huc adventantes, aut parens
tibus orbati, aut à suis deserti, aut cum extrema pauper
tate confluctantes, in Musarum stadio & artium studiis re
tinentur, adjuvantur & promoventur, ut literis exculti aut
de Ecclesiis, aut de Respublicis, aut de scholis quàm præ
clare mereri possint, Proinde omnino dignum est, ut ab
omnibus libenter agnoscat, & palàm prædicetur. Id
enim ipsa in Deum pietas, & ipsa erga εὐεργέτας & opti
mè merentes gratitudo admodum flagitat.

Sed tantum de tertio beneficio à Deo immortalis in
nostram scholam collato; addo nunc quartum, quòd inde à
primo repurgationis anno non defuerunt, qui huic scholæ
usque ad præsentem horam utilem docendo navarunt operam.
Horum quin breviter perstringam nomina, facere non
possum. Inter Rectores primus fuit M. NICOLAVS
CÆSIVS Coburgensis, Philippo Melanchthoni amicissis
mus, ut ex Epigrammate in eius obitum à Philippo con
scripto conijcere licet. Is ab anno 1540 usque ad annum
Christi 1558 Rectoris provinciam administravit. Nam
eo anno,

lib. 2.

eo anno, Februarij die 24, qui Matthiae sacer est, inter gravissimos dolores ex sectione dexteri cruris, laborantis isto malo, quod medici Graeci σφάκελον ἢ νεκρωσιον, Latini Syderationem nuncupant, hanc in terris vitam felici fine clausit. Secundus M. TOBIAS MOSTELIVS VVeidensis, vir non vulgari eruditione, eloquentia & morum gravitate praestantissimus. Is anno Christi 1566 hinc evocatus Lipsiam commigravit, ad officium Protonotarij in judicio Curiali obeundum, cum Rectoris functioni octo ferè annos praefuisset. Tertius fuit M. IOANNES PURGOLDVS ex oppido Henichen prope VVitebergam sito oriundus, quò & ut fertur, ad Pastoris munus abiit, functus Rectoris officio per quinquennium. Quartus M. FRIDERICVS ZORLERS Kitzingensis Francus, qui suam provinciam ab anno 1571 usque ad 1581 cum gessisset, Eribergam reversus M. Apelio successit. Quintus Rector fuit M. BERNHARDVS HEROLDVS Pegavien-sis, qui ex schola Mersburgensi huc venit, & per annum modò officio functus est, quo elapso, officium sponte resignavit, & Mersburgum rediit. Sextus Rector anno 1582 designatus est M. BARTOLEMÆVS RULICHIUS Lomacensis Misnicus. Is ex schola illustri ad Muldam

C

Muldam

Muldam huc vocatus est: sed triennio integro nondum ex-
acto officio scholastico se abdicavit, nactus functionem Ec-
clesiasticam, primum Pirnae, postea Lipsiae, & tandem
Augustae Vindelicorum. Septimus Rector factus est anno
1585 M. MICHAEL RACKELMANNVS
VVeidensis Variscus, & officio praefuit triennium usque
ad annum 1588. Nam eo anno fatali quodam malo, praeter
spem & culpam, oppressus & statione sua expulsus, in
exilium ire coactus est, ex quo tamen post paucorum anno-
rum decursum revocatus in schola illustri Misene provin-
ciam Conrectoris administravit. Octavus Rector fuit M.
CASTAR IANICIUS Budissinus, ex schola Ca-
mittana huc evocatus, & in Rackelmanni ab officio remoti
locum successit: sed non diu in hac statione permansit. An-
no enim 1591 Christiano primo, augustissimae recordatis-
onis Principe, praematura morte finem vitae faciente, pro-
pter orthodoxam seu potius Cacodoxam & Calvinisticam re-
ligionem, quam profitebatur Ianicius, ab officio remotus,
& urbe exire intra menstruum spacium iussus est. Nonum
iam inter Rectores locum ego M. TOBIAS SIMON
DRESDENSIS teneo nactus eam provinciam post
Ianicy discessum, sub finem anni 1591, quam & haecenus
per 28 ferè annos, si non qua debui, at certè qua potui,
fide

fide & diligentia administravi, nec tamen ἀνευ τῆς θεῆς σπουδῆς
ϋούυτος, cuius solius bonitati & gratiae acceptum refero,
quicquid in hac Sparta ornanda praestare potui, qua ut &
in posterum, quoad sibi visum fuerit, clementer mihi ad-
sit, piis quotidie precor precibus.

Inter Correctores fuit primus M. IO ANNES
TETELBACHIVS Dinckelspulensis ex Svevia
inferiori, qui postea Misenam ad munus Pastoris ad D.
Afram vocatus est. Secundus M. Ioannes Vinitor Dres-
densis. Tertius Ioannes Rosbachius Olsnicensis Variscus,
factus tandem Diaconus. Quartus M. Andreas Cuspis-
dius Dresdensis. Quintus M. Georgius VVidekopf
Schnebergensis. Sextus Christophorus Lucius Dresden-
sis ad Diaconi officium hinc vocatus. Septimus M. Ge-
orgius Graupicius Dresdensis. Octavus M. Matthias
Schumannus Dresdensis. Nonus M. Tobias Simon
Dresdensis. Decimus M. Caspar Fugerus Dresdensis.
Vndecimus iam est M. Ioannes Eulenan VVurcensis. Duo-
decimus M. Caspar Henricus Mittelstaedt Decimus tertius
Mithael Lempachius. Decimus quartus. M. Petrus Per-

Inter Cantores fuit primus Sebalduſ Baumannus
Norinbergensis: secundus Ioannes Selnerus, postea factus
Pastor in pago Leubnitz: tertius M. Andreas Fando

thius M.
Afram. Naun-
burgensis

Vandalus, ex schola Senatoria Lipsiensi huc vocatus: quartus Andreas Petermannus Dresdensis: quintus M. Casparus Eugerus Dresdensis: sextus Basilius Colerus Altenbergensis: septimus Bartolemaeus Petermannus Dresdensis: octavus Christophorus Lissbergerus Dresdensis: nonus M. Samuel Rültingus Groicensis: decimus M. Christ. Neander Coldicensis.

Porro in quarti Collegae munere omnium primus extitit Antonius Rudolphus, postea ad Diaconi in hac urbe officium proventus: secundus Andreas Cuspadius, qui primum Conrectoris, deinde & Diaconi munere functus est: tertius Christophorus Lucius, qui & ipse postea Conrectoris & Diaconi provinciam sustinuit: quartus Andreas Petermannus, in Cantoris locum deinceps surrogatus: quintus Sebastianus Frölichius, factus tandem Pastor in pago Ketzschbroda: sextus Thomas Pitschius Dresdensis, qui per 47 annos cum dimidio suae functioni bona fide, indefesso studio & magna laborum patientia praefuit: septimus iam est Wolfgangus Ienichzen Vetero Dresdensis.

In quinti Collegae statione primus fuit Georgius Carpius Misnensis: secundus Balthasar Wagnerus Dresdensis,

sis: tertius Ieremias Mylius Bornensis: quartus Marcus Grall Altendresdensis: quintus Ioannes VVeizerus Dresdensis: sextus VVenecslaus Febrmannus Dresdensis: septimus Ioachimus Kitzius Veterodresdensis: octavus VVolfgangus Ienichen: nonus iam est Ambrosius Stephani Lobschützensis.

Sextus Collega reliquis additus est sub Rectore Zorlero, Anno 1575. Primus fuit Sacharias Eugerus Dresdensis: secundus Ioachimus Kitzius: tertius Thomas Eurboccius Altendresdensis: quartus Georgius Cuno Eribergensis: quintus Ambrosius Stephani: iam sextus est Samuel Helmert Pausensis Variscus. Hi commemorati Collegæ inde à primordio scholæ repurgatæ sua opera & institutione discipulis profuerunt, & etiamnum pro iis, quibus possunt, prodesse laborant viribus.

Progredior ad quintum & ultimum beneficium, quo Deus ille clementissimus hætenus scholam affecit nostram. In ea enim semper veræ pietatis studium, & sinceram Christianæ religionis doctrinam conservavit, & maxime per opusculum illud B. Lutheri, quod Catechismum appellamus, verè aureum illud & incomparabile cælestis doctrinæ

sacrarium. Illud enim pietatis Enchiridion haecenus in
nostra schola magno cum fructu iuventutis retentum est &
usurpatum, ac adhuc usurpatur. In illo prima rudimenta
seu praecipua doctrinae, atque religionis Christianae capita
tenerae aetati fideliter & diligenter instillantur. Cum eodem
& postea pro adultioribus coniuncti sunt & alij libelli Me-
thodici, in quibus principales articuli purae religionis ex
sacris literis & scriptis Ecclesiarum nostrarum Symbolicis
continentur, illustrantur & confirmantur, qualis antehac
fuit compendium Heerbrandi, & jam compendium locorum
Theologicorum per D. Hütterum ex scripturis sacris &
libro Concordiae concinnatum. Ac licet superioribus annis,
per Catechesin Witebergensem, quae & huic scholae obtru-
sa fuit, & sub Ianicio Rectore, qui religioni Calvinianae
addictus erat, Diabolus, ille magister humanae salutis
hostis, inter nitentia culta purae religionis infelix lolium
commiscere conatus sit; tamen id Deus radices agere haud
passus est, sed pro infinita sua bonitate & ex singulari
providentia isti malo statim remedium attulit saluberrimum,
non solum zizanio extirpato, sed & eius seminariis ex-
tra scholam eliminatis. Praeter pietatis verae verae princi-
pia idem Deus prima literarum, hoc est, artium & lin-
guarum studia haecenus in hac schola fidei docentium labore
& cura

Et cura propagavit. Unde et factum est, ut omni tempore in hoc ludo pueri et adulescentes, indigenae et advenae, sua jecerint fundamenta, ac ita sementem quasi fecerint, ut postea adulti, et studiorum cursum in Academiis conficientes, fructus ederent, copiosos et salutare, aut in templis et cathedris, aut in foro et curia, aut in magistratu et judiciis, aut in aulis et cancellis Principum, et caeteris Reipublicae partibus, ac omnibus hominum statibus. Quorum numerum si comprehendere vellem, Vere prius flores, aestu numeraverim aristas, Pomag in autumno frigoribusq; nives, ut cum poeta loquar. Sed nec opus est: res est in propatulo et nota a vespere Solis ad ortum.

Quapropter vela orationis contraham, et finem dicendi faciam. Ac primum Vobis, Viri reverenda dignitate, eximia amplitudine, excellenti pietate, doctrina, prudentia et auctoritate praestantissimi, Domini Inspectores et Patroni, officiosa mente singulares ago ac habeo gratias, quod hanc nostram scholam, tanquam verae pietatis officinam, bonarum artium domicilium et virtutis palaestram, vestra cura, patrocinio et favore complectimini, et quibuscunque rationibus potestis, liberaliter ornatis et studiosè juvatis. Nam vos nihil Deo gratius, nihil Ecclesiae uti-

C 4

lius,

lius, nihil Reipub. magis necessarium, nihil officio vestro dignius præstare posse, pro ea, qua estis, prudentia satis ipsimet intelligitis. Vos deinde, discipuli amantissimi, alio loquor, vos hortor atque moneo, ut ineffabilem illam DEI Opt. bonitatem maximis efferatis ac prædicetis laudibus, quod post sinceræ religionis instaurationem in hac etiam schola hætenus semper sibi discipulorum collegit cætum, ac eum piorum & bonorum hominum studio, beneficentia atque Patrocinio conservavit, fovit, propagavit. Id vestra in Deum pietas, id vestra erga patronos observantia, id vestra erga bene merentes gratitudo vos facere aperte iussit. Vos iam istius cætus pars estis haud contemnenda. Vos jam in hac schola, tanquam in palæstra, pietatis ac literarum cognitione, virtutum præceptis & honestè vivendi ratione imbuimini. Vestri causa Amplissimus & Prudentissimus Senatus hanc scholam fovet, ac idoneis constituit præceptoribus. Vestri non pauci estis peregrini, civium subsidia imploratis, & horum liberalitate sustentamini. Quocirca tam ingens beneficium agnoscite & celebrate, tam commodam & tam optatam discendi occasionem ambabus, quod dicitur, manibus amplectimini, & rectè ea utimini. Inprimis autem vos totos in eo esse oportet, ut omni tempore & omni in loco strenuè ac graviter officio vestro

vestro fungamini. Pietati itaque, tanquam omnium virtutum matri, assidue estote dediti. Doctrinae caelestis capita ad unguem ediscite, & ea, tanquam regulam & normam vitae, morum & actionum omnium, vobis sequenda esse judicate. Sacras conciones & usum Sacramentorum nullo tempore sabterfugite. Deum quotidie piis & ardentibus precibus implorate, ac sine iis nihil in studiis ac tota vita auspiciò suscipi & feliciter geri credite. Bonas artes linguasq; amate, & in iis addiscendis magnam industriam & singularem animi intentionem adhibete. Praeceptores, non secus atque parentes vestros, summo amore prosequimini, nec solum externa corporis reverentia, sed potius interna & vera animi subiectione colite. Ipsis & in morum gubernatione & in studiorum ratione, absque ulla petulantiae & contumacia significatione semper & sponte praestate obœdientiam. Denique à primis annis ad modestiam, ad temperantiam, ad veritatem, ad justiciam, ad patientiam & ad alias virtutes vestrum vitae genus exornantes vos assuefacite, ac vitia iis adversantia ambobus, ut est in trito adagio, pedibus fugite. Sic nihil in vestro unquam desiderabitur officio. Sic Deus vestros conatus & studia felicibus beabit successibus & progressibus. Sic idem & in posterum sibi in hac schola cœtum discentium

colliget ac conservabit. Sic & Patronos, fautores & benefactores pro sua dabit clementia ac providentia, qui nec vobis, nec vestris successoribus, sua deerunt liberalitate & munificentia.

Quod superest, Tibi, omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, immortales ago gratias pro omnibus huc usque in scholam nostram collatis beneficiis: tēq; per eundem filium tuum, Salvatorem unicum nostrum, ex inis cordis penetrabilibus precor, ut & deinceps, cum tua Ecclesia, quæ te hic colit, hanc nostram scholam clementer foveas, & in ea lucem veritatis cælestis, artiumq; linguarum, virtutis & honestorum morum studium benignè conserves, ut iis juventus exculpta & instructa aliquando Ecclesiis & Rebuspublicis, ad eōq; universæ hominum societati ornamento & adiumento esse possit.

DIXI.



Decorative border on the left edge of the page, featuring a repeating pattern of stylized, interlocking floral or geometric motifs in black ink.

AKya 3299

1017

n.1.



Ya
3299

n. 16, 29.

DE
BEN
VSQ
POST
M.
In

IS
VC
M
VA-
E

n. 4.

